



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Ethicè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Nec aliter evenit. Qui leones habuit innoxios & familiares inantro comites, canum expertus est iram. Fortè ruri ambulabat, cum molossi in eum irruentes, mordaciter dentes, quos ab hospite quondam non averterat, strinxerunt, & miserè dilaniarunt. Minatur Siracides c. 3. *Cor durum male habebit in novissimo.* Expertus hoc, de quo diximus, anachoreta, qui, postquam culpam eluit, supplicium tamen temporale non evasit. Idem experti sunt cives Philemonis & Baucidis, qui quòd saxa magis quàm homines fuerint in Divos, undis superobrutis, si non molliendi, certè sicut scopuli regendi erant.

## SYMBOLUM XLVII.

Erisichtonis fames insaturabilis, eiusque filia in piscatorem, aliasque formas mutatio. *S. Metam.*  
*Famis & Invidia imago.*

### Ethicè.

1. Gravia famis mala, 2. Supplicium gulæ, fames est. 3. Impietas parentum redundat in liberos. 4. Malarum cupiditatum fames. 5. Invidiæ domus, & imago.

**E**risichton Thessalus fuit, Deorum contemptor; qui nemus consecratum Cereri, ac in eo quercum sacrosanctam, in qua scilicet dea silvestris habitabat una de numero *Hamadryadum* (quæ cum arboribus, nascuntur & intereunt *ἀπὸ τῆ ἀμα, καὶ τῆς θεῶς*) succidit. Tanta impietas commovit omnes nemorum nymphas, ut supplicabundæ ad Cererem se reciperent, oratum, ne scelus hoc inultum pateretur. Audiit preces dea frugum, & Numinum irrisorem Erisichtonem, novo pœnæ genere, assidua videlicet fame cruciare decrevit. Fabulam oblectationis causâ *παροφεισιχῶς* ex Ovidio depingemus.

*Erisichton* ex Thessalia oriundus, Deos omnes despectum ibat, nec cuiquam sacrificare dignabatur: eò demum impietatis progressus, ut nemus Cereri sacrum ausus sit violare, & arbores vetusta religione Venerabiles cædere. Inter eas arbores Quercus erat, ramis latè diffusis, vittis & fertis, voti causa appensis, sacrosancta. Ad eam stirpem tam eximiam *Dryades* silvarum Deæ, solebant choreas instituere, & festis ludis honores Deæ frugum



gum celebrare. Nihil motus religione loci Erisichton, famulis dat negotium, ut arborem succidant. Illis præ Veneratione Deorum cunctantibus, eripit ipse securim uni è manibus, & in stipitem impingit. Contremuit, ac ingemuit quercus, subitoque pallore frondes & glandes obduci, sudore rami perfundi cœpere; ictumque repetente manu impiâ, è vulnere trunci manare sanguis. Attonitos habuit præsentem spectaculum, nec defuit, qui manum injiceret ferienti: sed ille conversa in hominem bipenni, detruncavit ei caput; ictusque iterare institit. Cùm ecce, medio de robore sonus editur; Nymphæ (unius Hamadryadum) vox erat, sub ligno viventis, & cum ligno morientis; hæc dira fata, sacrilego Deorum Contemptori, minatur. Ille spretis minis, prosequitur scelus, & multis denique percussibus dejicit quercum. Consternatæ tanta impietate cætera silvarum ac montium Nymphæ, luctum indicunt, atrisque vestibus mœrentes adæunt Cererem, exoptulatum de nefario facinore, & meritas in eius auctorem pœnas oratum. Annuit Dea precibus, seque atrocitati sceleris par supplicium reposituram confirmat: Erisichtonem dirissimâ inediâ excruciatum pessimis modis periturum. Vocat ad se unam ex Nymphis (quæ quod montes incolant, *Orcades* nominantur) eamque ad extremos Scythiæ fines, perpetuo frigore oblitos, ablegat, ibi *Fames* habitabat ipsa, cum *Tremore & Pallore* socijs. Accipit mandata Nympha: vehitur per aëra Cereris draconibus, venit in Scythiam ad asperrimum montem Caucasum. Ejus viciniam circumspiciens, subiecit oculis *Famem* per agros errantem, & herbas dentibus vellentem, tetrum aspectu monstrum; stabant horridi capilli, recedebant in cavitatem lumina; pallor infederat ora; labra squalor & illuvies inficiebat, dentes scabrities exederat; extenuata cutis, & oculos in ipsa viscera admittens; ventris erat pro ventre locus, pectus à spina dorsi pendulum; articuli manuum & pedum, genuumque juncturæ fœda macilentia extabant. Spectrum utique formidabile, & cui de mediâ nolles occurrere nocte. Nympha ne contagium ex propinquitate monstri traheret (senserat enim se fame vellitari) mandata Cereris remotius peragit, & retrò unde venerat, descendit: summa eorum hæc erat:

----- ea, se in præcordia condat  
 Sacrilegi scelerata jube; nec copia rerum  
 Vincat eam: superetque meas certamine vires,  
 Obtemperat jussis Dea *Fames* (quamvis perpetuum, mutuumque  
 dissidium intercedebat) perque aërem sublimis ad domum Erisichtonis  
 fertur;



fertur : invadit noctu dormientem, seque per fauces & ora intra viscera immittit; intimaque corporis exinanit: ipsis adeo venis & medullis in ediam inspirat. Quibus peractis, ad antra sua horrida & jejuna revertitur. Mox Erifichton in ipso somno persentiscere coepit famem, & frustra fatigare dentes, nec aliud, quam auras pro epulis devorare.

Ut verò est expulsa quies, furit ardor edendi,  
Perque avidas fauces, immensaque viscera regnat.

Nec mora; quidquid vel in undis natat, vel in aere volitat, vel in terrâ graditur, avidus exposcit, & tamen appostis epulis expleri nequit. Neque moderatius sitit, quam esurit, totos etiam annes ebibiturus, si in os influerent.

----- & quo copia major

Est data, plura petit.

----- semperque locus fit inanis edendo.

Nulla ciborum copia poterat restringere eluriam: adeo quidem, ut consumptis in epulas facultatibus omnibus, filiam unicam, *Mestram* nomine, meliore dignam parente, venum exponeret: hæc verò insitam mentis generositate, cum à servitute abhorreret, Neptunum in vota vocavit: à quo mutata in virum Piscatorem, genitoris famem (tantus amor erat) quâ poterat arte, levabat. Ex Piscatore iterum in puellam redijt: iterumque diversis dominis vendita, identidem alias & alias animalium formas induebat.

Nunc equa, nunc ales, nunc bos, modò cervus abibat.

Sicque elusis sive Dominis, sive prociis, & pecuniâ emunctis, alimenta præbebat parenti: donec adeo vis mali increvit, ut in rabiem actus, suamet membra lanicaret, & se ipsum depasceret.

## Ethica.

I. (a) Inter cæteras calamitates, quibus Deus mortalium scelera plectit, *Fames est*; dirum malum, & quo non facile aliud acerbius. Quintilianus Declam: 12. §. 21. Felix, inquit, pestilentia, felix præliorum strages, denique omnis mors facilis; fames aspera, vitalia haurit, præcordia carpit, animi tormentum, corporis labes, magistra peccandi, durissima necessitatum, deformissima malorum. Plinius eam vocat teterrimum mortis Comitem.

K k

Et

(a) *Gravia famis mala.*



Et celebrata est sententia ex Homericæ  
Odissæ fabulis.

Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis,  
At perijsse fame, res una miserrima longè est.

Longum esset recensere exempla privata, publicæque famis, homines ad inhumana quæque patranda cogentis. Pauca quædam adferemus. Samariâ obsessâ à Syris (quod historia sacra Regum lib. 4. cap. 6. memorat.) rabies edendi etiam matres adegit ad proprios filios devorandos. Jerosolymâ à Tito Imperatore cinctâ, non veteramenta tantum calceorum, zonarum, scutorum lixata, & in cibum apposita (quod non semel factum est alibi quoque post absumptos obscenos animalium cibos) sed nec humanis quidem carnibus temperatum. Reperti hinc, illinc mortui, quorum ore semesum extabat gramen, quod dum evellerent, defectis viribus conciderunt exanimes. Joseph. lib. 2. de bell. Jud. c. 8. Numantini à Scipione (Affricano posteriore) vallo & aggere circumdati: cum omnia, quæ famem trahere poterant, consumpsissent: ad ultimum humanorum corporum dapibus usi sunt. Val. Max. lib. 7. c. 6. Babylonij à Dario Persarum rege (à quo desciverant) obsessi, ut commeatus, quos in urbe habebant, diutiùs extenderent, ex toto femineo sexu, cum singulas viris omnibus delegissent; reliquas, ne eis alendis illorum nutrimenta, per quos Vrbs defendebatur, consumerent, manum crudelissimâ strangulaverunt. Fulgosus lib. 7. c. 7. Cambyses Persarum Rex in expeditione contra Æthiopes Macrobios, quintâ itineris parte confectâ, tanta commeatus penuriâ cum exercitu laboravit, ut cum inter arenas decissent herbae, milites fortiti ex se ipsis decimum quemque comederint. Herodot. lib. 3. Seneca lib. 8. de Ira. c. 2. Calagurium, Vrbs Hispaniæ, à Cn. Pompeio, obsidij simul & famis necessitate ita pressa est, ut cives Vxores suas ac liberos in usum extremæ dapis converterent. Val. Max. lib. 7. c. 6. Florus lib. 3. c. 22. Saguntus vetus Hispaniæ civitas & opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, sed triste documentum, à Pœnis obsidentibus, eò famis redacta est, ut cives extracto, in foro, igni, suas res omnes in flammam conijcerent, seque ac suos postremò liberos, ne in manus hostium venirent, eodem præcipitarent. Liu. tit. 22. Flor. lib. 2. c. 6. Sub Honorio Imperatore, quod Zosimus narrat lib. 6. annal. anno 415. Romæ tanta caritas & raritas annonæ fuit, ut homines hominibus jam imminerent, & in circo palam audita sit illa Vox. *Pone pretium humane carni.*



II. (b) Atque hæc de publica Famis rabie. Privatam, ne prolixior sim, non attingo, nisi Imperatoris Zenonis, qui cum arreptus morbo comitiali, pro mortuo concidisset, jacuissetque; tanquam cadaver elatus est, & tumulatus. In sepulchro subinde restitutus sibi, lamentabili voce Satellites ad conditorium excubantes, per duas noctes appellavit: *Miseremini & aperite mihi.* Cumque illi dicerent, alium jam imperare (nempe Anastasium) *Nihil, inquit, curo, in monasterium me adducite.* Sed cum prohibente Ariadna Imperatrice, non aperirent, ferunt aliquantò post monumentum fuisse reclusum, inventumque in eo Zenonem, qui præ fame suos ipse lacertos, & vestes, quas gestabat, manderat. *Cedrenus apud Baronium anno Christi 491.* Zonaras refert, eum gulæ & ebrietati indulgentem, errore mentis affici solitum, & prolapsum nihil à mortuo distitisse. Fecit idem Erisichton. Utrumque iustissimè punivit fames ob intemperantiam in cibo, potuque. De hoc Mythologus lib. 5. c. 14. Erisichton ubi sua per luxuriam & crapulam profuderat; postea victum per sordes domesticas, & turpitudinem filiae comparare sibi cogebatur. Quare pietas in divos, in rebus agendis prudentia, & in presentibus bonis conservandis parsimonia viro bono est necessaria. Hæc ille. Prodigalitate & luxu iram Numinis provocari, documentum sunt Sodomitæ. Nam quid hos in tam immania scelera, & pares sceleribus poenas pertraxit, nisi quod sacer historicus Gen. 9. refert. *Superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium; & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Et Amos c. 4. Optimatibus Samaritarum, nullius rei, nisi voluptatis & saginæ curam habentibus, minatur, eos veluti *vaccas pingues* ab Assyriis mactandos, & contis sublato, ferventibus ollis immergendos, ac coquendos. Sic gula plectitur fame, vel propriâ, vel alienâ.

III. (c) Ex hac etiam fabula elucet, quanta sit impietas parentum, qui suâ culpâ ad extremam penuriam redacti, denique subsidium vitæ à liberorum flagitiis petunt. Erisichton, ubi bona sua luxu dilapidaverat, demum & filiam prostituit. Illius verò ætatis homines, ante cufas pecunias, pecora aliâsque merces invicem permutabant. Illa itaque ab hoc accepta ove, bove ab illo, alia ab aliis mercede, & suæ & paternæ subvenit inedia, ut ait Tætzes, Homeri interpres in illa verba Lycophonis: *ὁ πατήρ τῆς Μύσης πάντα καὶ αὐτὴν, Φαγῶν*: pater Mestæ omnia devorans, etiam filia suæ pudicitiam. Faciunt idem multi alii parentes, non parentes, qui lascivire jubent filias suas, dum permittunt. Egregiè Petrarcha de

K k 2

filia

(b) Supplicium gula fames est. (c) Impietas parentum redundat in liberos.



filia impudicâ Dial. 23. Lascivire incipit filia : Lanas dapes, & vestes illi molles ac fulgidas, annulosque & armillas detrahe, & quidquid est aliud, quô & ipsa sibi placeat, & placere aliis studeat : objice illi domesticas curas, pensa, acus, & colos, & si quid est operis, quod suaves & molles manus in callum duret : Seduc illam à spectaculis, à concursu populi : festis etiam diebus domi contine ; nullum vagis ac discolis cogitationibus tempus relinque. Prostituunt parentes filias, dum eas superbire sinunt, crispare capillos, fucare faciem, vagari per alienas domos, cantare, saltare, pudorem venalem circumferre. Verè Siracides, c. 41. *De patre impio* (adde etiam de matre impia) *queruntur filii (& filia) quoniam propter illum in opprobrio sunt.* Quippe qui eos in infamiam, & dedecus indulgentiâ, consilio, jussione, inopiâ conjecit.

IV. (d) ----- furit ardor edendi,

Pérque avidas fauces, immensaque viscera regnat &c.

Non de fame tantum pronuntiari possunt : sed de aliis naturæ prodigiis, Avaritia, Ambitione, Libidine, Ebrietate, immodico omni studio, & insatiabili cupiditate, ait in hunc locum Farabius. Mihi huc quadrare videntur quinque viri illi, de quibus S. Bernardus in declamatione super id : *Ecce nos reliquimus omnia*, declaraturus, quàm insatiabilis sit fames, Mundum, hoc est, vanas cupiditates amantium. Vidi ego, inquit, aliquando quinque viros, quid nî phreneticos arbitrer ? Primus siquidem plenis buccis marinam masticabat arenam. Secundus sulphureo astans lacui, exhalantem teterrimum, foetidissimumque gestiebat haurire vaporem. Tertius fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas excipere faucibus letabatur. Quartus supra pinnaculum templi residens, levioris auræ spiritum aperto attrahebat ore : & si quô minus influere videretur, flabello ipse sibi ventum ciebat, tanquam aërem deglutiturus. Quintus seorsim positus ridebat ceteros, ipse quoque ridendus, & maximè : proprias enim carnes incredibili quodam studio lugere laborabat. Miseratus homines, causamque sciscitatus à singulis : unam omnibus esse reperio, validissimam famem, &c. Non difficile est divinare, quid hoc sibi ænigmate velit S. Pater. Nam quænam est peritura bona esurientium satietas ? nulla. Ipsa copia famem parit. Quinam verò maris sabulum dentibus mandunt, nisi avari ? qui sulphureum vaporem hauriunt, nisi libidinosi ? qui scintillas ex ardenti fornace excipiunt, nisi iracundi ? quos juvat in alto collocatos auram attrahere & devorare, nisi superbos & ambitiosos ? qui denique

(d) *Malarum cupiditatum fames.*



denique proprias sugunt carnes, nisi invidi, gulæque dediti? De his omnibus dici possit

----- Quid non mortalia cogis

Pectora dira fames, nunquam saturanda cupido!

Ad hypotyposin *Famis* adjungenda est domus & descriptio Invidiæ, quam non minus ingeniosè & artificiosè depingit Ovidius lib. 2. Metam. in hunc ferè sensum & modum.

(e) Fortè Mercurius animum adjecerat ad *Herfen*, puellam nobilitate generis (nam patrem habebat *Cecropem*, Athenarum Regem) & formæ præstantem, connubio sibi copulandam. Et quia *Herse* Palladis (in cuius consortio vivebat) æquè castitatem atque studia æmulabatur, abhorrebat à nuptiis. Igitur Mercurius convenit *Aglauron*, *Herse* sororem, & blandis instat precibus, ut pronuba velit esse conjugii. Hæc aurum paciscitur, fidem & operam promittit. Aversata *Pallas* avaritiam, constituit ulcisci, & *Aglauron* diris invidiæ stimulis excruciare; studuerat enim pretium nuptiarum excandefacere, & sorori honorem præripere. Rem eò deducit *Pallas*, rogatu *Mercurii*, ut *Herse* conveniret in manum deo. Exinde confert se ad Invidiæ domum, sive potiùs antrum, in ima situm valle, & à conspectu remotum; nec solem admittens, nec ventum; perpetuo horrore septum, ubi nihil nisi frigus, & spissa caligo. Ad eam speluncam delata dea, non sustinuit ingredi (neque enim hoc decorum erat *Jovis filia*) sed postes extrema hastæ cuspide pulsavit.

Concussæ patuere fores: videt intus edentem  
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum  
Invidiam: visæque oculos avertit, at illa  
Surgit humo pigrè, semesarumque relinquit  
Corpora serpentum, passumque incedit inertem.  
Vtque deam vidit, formæque, armisque decoram,  
Ingemuit, vultumque deæ ad suspiria duxit.  
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:  
Nusquam recta acies: vivent rubigine dentes:  
Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno:  
Risus abest: nisi quem visi fecere dolores.  
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis:  
Sed videt ingratos, intabescitque videndo  
Successus hominum: carpitque & carpitur unâ  
Suppliciumque suum est.

K k 3

Paucis

(e) *Invidia domus & imago.*



Paucis eam affata est Pallas (neque enim debebat hoc monstrum alloqui dignari) & pro imperio iussit Athenas abire, Aglauron, regis filiam, livoris veneno implere; cumque dicto recessit. Illa obliquo lumine abeuntem respectans, & nescio quid submurmurans, baculum capit tortuosum, & spinis inflexum, atque in viam se dat. Quacunque incedebat, tecta nubibus, nullique aspectabilis, virentia protrivit arva, exussit herbas, & affatu suo

----- populósque, urbésque, domósque

Polluit. Denique Athenas ut attigit, urbem ingeniis, opibus, pace florentem, vix tenuit lacrimas,

----- quia nil lacrimabile cernit.

In eadem habitabant arce cum parente, tres filiae, scilicet *Aglauros*, *Herse*, *Pándrosos*. Huc ubi intravit, recta petit Aglauron, pectus ei ferruginea manu

Tangit, & hamatis praecordia sentibus implet,  
Inspiratque nocens virus, piceumque per ossa  
Dissipat, & medio spargit pulmone venenum.

Objicit illi sororem *Hersen*, ut sponsam Mercurii, & illum ut sponsum, fortunatas nempe & nobiles nuptias. Quibus illa imaginibus capta, omnia grandiora & insigniora concipiebat, ut magis semet irritaret & excrucialet, adeo, ut etiam vitam exosa, mortem in votis haberet. Ad invidiae tormentum, accessit altera poena: nam a Mercurio in saxum conversa est, & quidem, nigrum:

Nec lapis albus erat, sua mens infecerat illum.

Nigror lividae mentis in lapideam etiam formam redundavit. Ubi vides, quanta pestis sit invidiae Domus latebrosa, obscura, horrida, sine sole, sine luce; omnia enim tristia & caliginosa videntur livori; per carnes vipereas, quas mandit, amarae & cruciantes invidentium cogitationes significantur. Suspiria & gemitus, sunt dolores ex aliena felicitate hausti. Facies pallida & macilenta, torvum intuentes oculi, rubiginosi dentes, lingua veneno infecta, indicant, tabem internam etiam in corpus effundi; cumque livor alienae prosperitati nocere non potest, maledicam tamen linguam famae ac nomini felicitum obtrectare studet. Absunt risus & latitia, nisi ex malis alienis capta. Faciunt invidi, quod Sirenes, quae dicuntur saeviente tempestate quam suavissime canere: contra caelo sereno & tranquillo mari tristes obmutescere. Et sicut polypus piscis, teste Aeliano lib. 1. c. 17. cum cibis ipsum deficit, suamet sibi brachia praemordet, & devorat,

pari



pari modo invidus semet consumit, & mœrore tabescit, cùm non invenit, quibus dentem infigat, quosque laceret. Et hæc de imagine Invidiæ ab Ovidio luculenter expressa.

## SYMBOLUM XLVIII.

## Miræ Protei transformationes.

8. Metam. 4. Georgic.

## Ethicè.

1. Homo inconstans. 2. Vir prudens & politicus. 3. Sycophanta pseudopoliticus. 4. Homo vitiosus, & hæreticus. 5. Item diabolus indicatur per Proteum. 6. Homo arbor.

**P**roteus Oceani & Tethyos filius, armentorum Neptuni, hoc est, phocarum seu vitulorum marinorum pastor, marisque deus. Vehitur & pervagatur per æquora pedibus & curru, quem trahunt phocæ, quas Virgilius 4. Georg. vocat bipedes equos,

----- magnis qui passibus æquor

Et juncto bipedum curru metitur equorum,

Namque aquatiles illæ belluæ priore parte equum, posteriore piscem referunt, vocanturque *Hippocampi*. Est autem Proteus etiam *vates*, qui novit omnia.

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Nihil tamen edicit, nisi constrictus vinculis, & coactus. Sed quis vinciat eum, versipellem, & mille dolis versabilem? Dum teneri putatur, in alias atque alias formas vertitur, & elabitur: nam ex sene abit in juvenem; ex homine in tigridem, draconem, leonem, aprum, taurum, ignem, aquam, arborem & lapidem. Describit eius mutabilitatem Ovidius.

Sunt quibus in plures jus est transire figuras:  
 Vt tibi complexi terram maris incola Proteu:  
 Nam modò te juvenem, modò te videre leonem;  
 Nunc violentus aper: nunc quem tetigisse timerent,  
 Anguis eras: modò te faciebant cornua taurum;  
 Sæpe lapis poteras, arbor quoque sæpe videri.

Inter-